


Testamenti Veteris:

Quinque Moyſi: ideſt, Genefis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium: Iofue, Iudicum, Ruth: Quatuor Regum: Duo Paralipomenon: Eſdræ primus, & ſecundus qui dicitur Nehemias: Tobias, Iudith, Eſther, Iob, Pſalterium Dauidicum centum quinquaginta Pſalmorum: Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus: Iſaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel: Duodecim Prophetæ minores, ideſt, Oſea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum, primus, & ſecundus.

Testamenti Noui:

Quatuor Euangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apoſtolorum à Luca Euangelifta conſcripti: Quatuordecim Epiftolæ Pauli Apoſtoli: ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephēſios, ad Philippenſes, ad Coloffenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duæ: Ioannis Apoſtoli tres: Iacobi Apoſtoli vna: Iudæ Apoſtoli vna: & Apocalypſis Ioannis Apoſtoli.



ad defectum vocalium supplendum, & alia eiusdem generis: cuius rei causam fuisse opinamur, simpliciorum Christianorum loquendi usum, qui peculiarem propemodum Arabicæ linguæ dialectum sibi vendicavit. Atqui non solum in hac lingua, verum & in Latina, & Græca, & Hebraica non raro exactiores loquendi regulas Prophetæ, Apostoli, ac veteres Patres neglexerunt. Non enim diuinorum verborum amplitudinem intra angustos grammaticalium præceptorum terminos voluit Spiritus Sanctus coarctari: quinimò sacra ac cœlestia mysteria, absque inanibus humanæ eloquentiæ elegantiaque ornamentis, planioribus ac facilioribus verbis nobis proposuit, ne humanæ virtuti aut industriæ, sed diuinæ potentiæ ac sapientiæ, magnum & admirabile salutis nostræ opus, ac totius mundi ad Christi fidem conuersio tribueretur: & ne hominum, sed DEI solius esset omnis honor, & gloria.

Desunt porro in hac Arabica impressione eæ, quas Arabes Motiones, nimirum Vocales appellant, quemadmodum etiam cœtera signa ad faciliorem lectionem à Grammaticis excogitata: perpaucis locis, in quibus necessitas illa exigebat, exceptis. Est enim præter Orientalium Ecclesiarum consuetudinem huiusmodi signa vel in Sacris Biblijs, vel in Ecclesiasticis Libris apponere: nec tamen improbamus, imò etiam magnopere laudamus eos, qui hæc eadem impressis alibi Biblijs ubique adscripsere.

Illud etiam te ingenuè monitum volumus, nonnulla in hoc opus errata, præsertim ex Scriptorum, præliques correctorum incuria irrepsisse: quorum præcipua in singulorum Voluminum fronte tibi in Indice cum correctione proposuimus; minora prudentiæ tuæ corrigenda relinquentes. Sed quoniam non raro post aliquot paginarum impressionem, ab ijs, qui Typographiæ mendis emendandis præerant, errata nonnulla deprehensa, & sub torculari in reliquis paginis correctæ sunt: ideo errata quædam in Indicibus posita, in multis exemplaribus non reperies: ut, è conuerso, nonnulla tibi fortasse in alijs exemplaribus occurrent, quæ in Indicibus non fuerunt descripta: non enim exemplaria omnia, quorum supra mille & quingenta impressa sunt, perlegere potuimus.

Postremò eos tantum libros in hoc opere collocandos censuimus, quos ut Sacros, & verè Verbum DEI, & Spiritus Sancti afflatu à Prophetis & Apostolis scriptos, ex Apostolica traditione, & Vniuersalium Conciliorum consensu Sacrosancta, Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia suscipit, ac veneratur. Horum autem series à Sacrosancta Tridantina Synodo proposita, est huiusmodi:

mo quinto , fauente atque auxiliante DEO , Illustrissimus hic Præsul, cæterique viri eruditissimi tantum opus summo cum studio , animique ardore aggressi sunt : & exemplaribus, quotquot inuenerunt , Arabicis collectis, ex vnoquoque emendatiora ac sinceriora, & quæ ex Hebraicis Græcisque fontibus purius manabant seligentes; corrupta, & ea quæ in Arabicis codicibus desiderabantur, ex iisdem fontibus, & ex Latinis Biblijs Vulgatis correxerunt , vel ab integro reposuerunt : atque ita antiquissimæ Arabum genti , cæterisque eiusdem linguæ nationibus , Sacros Libros , vt olim habuerant , integros perfectosque , quantum fieri potuit, restituere conati sunt .

Verùm , quia in re tanti momenti omnis humana cura & industria exigua existimanda est: Sacra Eminentissimorum Patrum Congregatio iussit in huius Arabicæ Editionis impressione Latinum Vulgatæ translationis textum vbique è regione Arabici textus apponi , tanquam certam regulam ac normam , qua posset vnusquisque & cognoscere, & corrigere quicquid vel Scriptorum ac Typographorum vitio, vel Interpretum & Correctorum defectu in Arabico textu peccatum fuisset.

Illud etiam scias, Lector; nos in hac Arabicæ Editionis correctione, non semper Hebraicæ Græcæque origini verbo tenus inhæsisse: sed antiquiorum Interpretum morem imitatos, sæpè verborum rigore posthabito, sententiam tantum retinuisse . Vbi verò inter Arabici Latiniue textus sententias diuersitas aliqua, quæ veritati minimè nocebat, apparet; nihil mutasse , sed antiquam interpretationem reliquisse ; tum vt illius authoribus aliquid deferre videremur ; tum ne Orientalium populorum aures interpretationi illi iam assuetas , importuna nouitate offenderemus : præsertim cum radix ipsa siuè Hebraica siuè Græca, vel ob significandi ambiguitatem, vel ob lectionis varietatem, vtramque sententiam commodè admitteret; & inter eas diuersitas tantummodo, sine vlla contrarietate & sine veritatis detrimento reperiretur.

Cæterum in Nominibus hominum & locorum proprijs, Hebraicas voces, atque etiam characteres, quantum fieri potuit , expressimus, nisi Arabicæ linguæ vsus aliter obtinuisset. Lapidum autem, arborum, herbarum, brutorumque animalium, & huiusmodi rerum nomina, si dubiæ incertæque significationis in Hebraico idiomate forent, & circa illa Interpretes inter sese minimè conuenirent, immutata, prout in Arabico textu legebantur, reliquimus.

Inuenies etiam in hac Editione Arabica nonnulla Grammaticæ præceptionibus non ita conformia, siuè etiam difformia : vt genus masculinum pro fœmineo: singularem numerum pro plurali, atq; hunc pro duali: casus rectos pro obliquis, & contra: in Verbis etiam Raphum (vt vocant) pro Nasbo , & Gezmo, & è conuerso : præterea additas literas

ad

quod ad veritatem pertinet, eandem continent sententiam : nihilque in ijs inter se oppositum aut repugnans inuenitur. Quod, ut in coeteris receptis translationibus verum sit; in hac tamen Vulgata, qua Sacrosancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia utitur, prae coeteris agnoscitur: in ea enim non solum sententiae, sed plerunque etiam verba cum Hebraica Graecaque origine conueniunt.

Et nihilominus inuenies fortasse, Lector, in aliquibus praefatorum librorum exemplaribus, seu Editionibus, tum Latinis & Arabicis, tum Graecis & Hebraicis, aliquid corruptum aut mancum, vel ex incuria Scriptorum & Typographorum, vel ex minus accurata Interpretum solertia. Verum nullus ferè extat liber, quantumvis integer ac perfectus, in quo mendum aliquod, aut leuior corruptela non occurrat: nec tamen quisquam iure propterea affirmabit huiusmodi librum simpliciter absoluteque corruptum esse, atque ideo reiiciendum.

Cum autem Sacrorum Bibliorum Editiones pro multitudine nationum ac linguarum multiplices fuerint; Editio quoque Arabica olim satis celebris, & verbis ac sententijs admodum integra & perfecta habita est, dum Christiana religio in Orientalibus oris florebat, necdum haereses ac schismata maximam earum partem occupauerant. Verum ubi fides & scientia ibi coepit imminui, Editio quoque illa non modicam iacturam passa est, ita ut pleraque eius exemplaria perierint, & in paucis, quae superfuerant, non pauca errata ac defectus inoleuerint; idque ex Scriptorum, doctorumque virorum inopia, gliscente in dies inscitia, atque umque bonarum neglectu.

Hoc animaduertens Illustrissimus ac Reuerendissimus Praesul Sergius Rîsius Archiepiscopus Damascenus Maronita, vir omnium scientiarum ac virtutum ornamentis excultus, & sanctissimae vitae laude percelebris, nationis suae necessitati pro suis viribus opem ferre decreuit: praesertim quia eodem tempore nonnulli Orientalium Ecclesiarum Pastores Apostolicae Sedi, cui tunc Urbanus VIII. felicissimae recordationis praerat, supplicauerant, ut Editionem Arabicam recognosci, corrigi, typisque vulgari ad suorum populorum vtilitatem in Alma Vrbe iuberet. Quorum precibus cum Pontifex benignè annuisset; Eminentissimis ac Reuerendissimis Dominis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Cardinalibus rem totam commisit. Illi verò praedicti Archiepiscopi Sergij partes esse voluerunt, plures viros tum Ecclesiasticos, tum laicos, sacrae Theologiae, aliarumque scientiarum Professores; & praeterea variarum linguarum, praesertim Arabicae, Syriacae, Graecae & Hebraicae peritos, in suis aedibus congregare, atque vnà cum illis Arabicum Textum corrigere, suaeque integritati, quantum fieri posset, restituere.

Anno igitur post Christum natum millesimo sexcentesimo vigesimo



P R A E F A T I O A D L E C T O R E M.



IMMORTALES DEO Optimo Maximo gratiae agendae sunt, quod ex immensa sua erga humanum genus providentia, ad verae fidei, rectaeque religionis regulam certam, & ab omni erroris suspitione alienam statuendam, Sacrarum Scripturarum oracula Prophetis & Apostolis manifestauerit. Et iam quidem plerasque terrarum Orbis nationes à via recta in varios errores, pravaeque opiniones declinare, æquissimo iudicio ille permisit: non tamen passus est eos Libros, vel inter barbaras gentes, omnino perire, quibus Verbum ipsius scriptum continebatur, & in quibus tutissimam, ad aeternam salutem felicitatemque, semitam reperiri, omnes homines faterentur. Si enim certum verae fidei signum, atque infallibile probatae religionis argumentum per sanctissimos viros **DEVS** mortalibus non reuelasset: proculdubio vel ab amplitudine ditioris, vel ab Imperij diuturnitate, vel à felicitate regnandi, vel à virtutum moralium, ac naturalis bonitatis ornamentis, vel denique à signorum mendacium, fallaciumque prodigiorum, quibus Dæmones humanum genus ludificantur, ostensione, verae religionis argumenta homines falsa opinione ducti desumpfissent.

Porro Diuinum hoc Verbum à supremo rerum Authore ac Moderatore reuelatum, à Prophetis verò & Apostolis primitus proprio suae gentis, vel illius ad quam missi fuerant, idiomate descriptum, in varias deinde linguas translatum est; ut omnes agnoscerent, quod ad omnium bonum salutemque traditum fuisset. Et quamvis in huiusmodi translatione, aliqua verborum varietas, pro diuersitate linguarum, multiplicique originariae dictionis sensu, nonnunquam reperiatur; omnia tamen, quod